DE

OCULI NEONATI MORBIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA LITTERARUM
UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
AD GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
RITE ASSEQUENDUM
SCRIPSIT ATQUE
DIE XXVII. MENS. FEBRUARII ANNI MDCCCXLI
PUBLICE DEFENDET

SÜSKIND FISCHEL
RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

G. STENS, MED. ET CHIR. CAND.
H. KLEIN, MED. ET CHIR. CAND.
IOS. SCHAEFFER, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,
TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.
MDCCCXLI.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO

HERM. FR. KILIAN,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORD., IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA, MODERAT. CLINICI OBSTETRICII, PLURIUM SOCIETATT. LITTER. SODALI.

ETC. ETC.

NEC NON

AMICO DILECTISSIMO

CAROLO D'ESTER,

DOCTORI MED. PRACT. COLONIENSI

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Prooemium.

Quamquam et foetuum et neonatorum morbi physiologiae atque pathologiae maximi sunt momenti, attamen, si aliis cum morbis eos comparamus nempe, quod ad genesin pertinet, parum de illis scimus. Neutiquam in animo scriptoris fuit novas et res et rationes in lucem proferre, quae ad neonati oculum spectent; putavit modo compositione quadam nosographica eorum, quae in diversis libris disiecta leguntur, non inutilem fore la-

borem, imprimis ei, qui profundius rem tractare velit. Qui difficultatem materiam talem colligendi et disponendi novit mendis dissertatiunculae nostrae concedet et ignoscet, de quibus scriptor lubenter persuasum sibi habet.

Oculorum morbi neonati omnino therapiae minoris sunt momenti, quam pathologiae, imprimis anatomiae pathologicae. Plurimos, vitia primae formationis, sanare non possumus, et saepissime complicata sunt aliis cum deformitatibus, praesertim totius capitis et faciei, quam ob causam plerumque vitam per paucos modo dies vel horas etiam servare possumus. Iure quidem morbi hic tractandi maiore foetuum morbi nominandi essent, quum iam foetus hisce laborat.

A. MORBI OCULI ACQUISITI.

Duo praesertim sunt morbi, quibus in primis vitae diebus neonati laborare solent. Primum ophthalmia neonatorum, rectius *blennorrhoea* oculi, quae modo *blepharoblennorrhoea,* modo *blepharophthalmia* conspicitur; tum cataracta, quae modo cataracta *punctata,* modo *dimidiata,* modo *centralis* apparet. Secundum novas autem rationes cataracta congenita plurimum in primis vitae diebus nasci dicitur et quidem cataracta centralis ex ophthalmia.[1]) Primum de *ophthalmia* dicemus.

Symptomatologia. Altero vel tertio post partum die palpebrae tumescere et occludere se so-

---

1) Juengken, theoretisch-practisch. Handbuch der Chir. von B. M. Rust Bd. IV. p. 112.

lent, coniunctiva palpebralis magis ac norma rubet. Haec conditio inflammatoria etiam in bulbi coniunctivam propagatur et effluxus crassae, albidae puri similis materiae exoritur. De corneae conditione raro nos certiores facere possumus, quum photophobia tanta est, ut, quum palpebras elevare velis, oculus semper et vi quidem sub hisce tegatur. Tarsus extrorsum tenditur et si palpebras digitis distrahimus, aut si valde exclamat neonatus, evolvitur tarsus et facile *ectropium* conformatur. Secretio primum tenuis, aquosa, albida, paulatim crassa, puriformis, lutea, initio saepe sanguine mixta, quod autem malam prognosin non indicat; contra autem in malis casibus secretio ex flavo viridis, tenuior, ichori similis. Acmes morbi *chemosis blennorrhoica* nominatur. Tum palpebrae deformiter tumescunt ex coeruleo rubrae; coniunctiva palpebrarum valde luxuriatur; mucus cum impulsu quodam scatet, si infans exclamat, aut si extensione rimam palpebrarum paululum elevare studemus. Hic morbi gradus facile in suppurationem transit. Per longum temporis spatium durat malum et in levibus modo casibus ante septimanam tertiam finitur, saepe autem multo serius.

v. Ammon [1]) tria distinguit in hoc morbo stadia. Primum enim *Hydrorrhoeae* est, quippe quod

---

4) Encycl. Wört. d. med. Wiss. Bd. I. Berl. 1830.

secretione muci copiosa lacrymis similis excellitur; durat saepe per complures horas, plerumque vero per nonnullos dies. Alterum: *Phlegmatorrhoeae*, quod nomen dedit a formatione muci in palpebris ad crustam flavam transeuntis et nonnullos tantum dies vulgo durat. Tertium stadium: *Pyorrhoeae*, Mucus nunc in pus mutatur, quod et oculum ipsum, et circumferentiam corrodit. Signum praestantissimum omnis oculi blennorrhoeae, *corpus papillare*, nunc evolutum est. In casibus morbi vehementissimis bulbus oculi deletur et morbi consequentes frequentissimi sunt: *Ectropium*, per longum tempus durans, *epiphora*, *pannus* et *ulcera* corneae, *leucoma*, *staphyloma*, *hydrops bulbi* et *cataracta centralis*.

D i a g n o s i s huius morbi secundum symptomata praemissa facile statuenda atque distinguenda est ab aliis oculorum morbis neonati, qua re non necesse mihi videtur aliquid hac de re dicere.

P r o g n o s i n si spectamus, a gradu morbi dependet, imprimis autem, an iusto tempore iustisque medicaminibus, neque sero malum tractat medicus. Saepe ex medendi ratione, neque satis forti, neque iusto tempore adhibita malae consequentiae, quae haud raro destruendo oculo patefiunt, nascuntur. Semper fere bona est prognosis, si secretio illa saniosa non invenitur et remedia apta iustoque tempore adhibita sunt. Omnino prognosin, dummodo

iusta adhibeatur medendi ratio primo vel altero etiam stadio morbi bonam possumus statuere. Si vero tertium iam incepit stadium — *Pyorrhoea* — tum accuratissima tantum curatione adhibita sperari potest fore, ut oculi nucleus servetur et fortasse videndi facultas, quippe quae *Coremorphosi* postea instituenda restitui in integrum possit. Pessima est prognosis, si, quod supra indicavimus, effluxus subrubri sero similis sanguinis accidit, id, quod secundum Iuenkenium semper deletionem bulbi indicat, post quam infantes vulgo paulo post moriuntur *atrohphia*, id, quod graviorem morbi gradum significat; aliter neonatus fere nunquam hoc morbo diem obit supremum [1]).

Aetiologia. *Causa praedisponens* primum est aetas neonati inde a partu usque ad duodecimam vitae hepdomadem, morbosum vegetationis studium, omniaque, quae huic favent. Parentes scrofulosi laborantes, venerei, phtisici, qui malis vescuntur alimentis, in cavis aut sub aëre palustri habitant, adde partum praematurum. Fortasse etiam causa praedisponens similis est naturae, ac in nonnullis mammalibus, quae semper blennorrhoea occulorum affecta nascuntur et nonnullus tantum post partum

1) Seiler, Beob. ursprünglicher Bildungsfehler u. gänzl. Mangel d. Aug. Dresd. 1833. — Kieser, Commentatio physiologica: de anamorphosi oculi. Gottingae 1804.

dies oculos apperire possunt, qui usque huc conglutinati fuerunt. *Causa occasionalis:* Iam partus ipse per longum temporis spatium progrediens, capite conpresso, affluxum sanguinis iusto maiorem in orbitam gignere et ita causa occasionalis fieri potest. Laesio porro oculi forcipe exorta, vernix caseosa si non abluta et ad oculum exarescit; etiam neonati exclamatio causa habetur occasionalis.[1]) Purgatio oculi incauta mappis crassis vel impuris, fumus, aër impurus et humidus, fluor albus exdyscrasia matris etiam caussa occ. fieri potest. Secundum Ritterich[2]) matres neonatorum omnium, hoc morbo affectorum, fluore albo *insonte* laborare dicuntur. Etiam Schoen[3]) hunc morbum in iis tantum neonatis observavit, quorum matres fluore albo laboraverunt. Lucem quoque, quippe quae novum sit oculis irritamentum, quasi specificum causam nonnulli habere voluerunt occasionalem. Benedict[4]) huic opinioni maxime favet, additque, se in talibus infantibus magnam oculi sensibilitatem contra lucem inde a partu observasse. Ceterum Iuengken *(Nunquam lux clara ophthalmiae neonatorum caussa est occasionalis)* et theoria et ex-

---

1) Merklinghaus, Diss. de Blepharoblennorrhoea neonat. Berolini 1826 pag. 18.

2) Beitr. z. Vervollk. d. Augenh. Leipz. 1827 fasc. I.

3) Nosolog. ther. Darst. d. gon. Augenentz. Hamb. 1834.

4) Handbuch d. Augenheilk. Bd. II. S. 32.

perientia nisus huic opinioni diligenter repugnat, praecipue vero id argumentum afferens, quod forma oculi globosa lucis radii fortius infringantur, quam qui retinam cuspide cunei lucis tangere possint. Praeterea, ut Metsch[1]) opinatur, non coniunctiva, sed interiores oculi membranae afficerentur. Parum verisimilis Petri Frankii[2]) opinio est, qui organa digestionis turbata, lac matris insalubre, meconium retentum caussas huius morbi ducit; e quarum numero lac ex dyscrasia matris malum exortum fortasse maxime probari potest; cui autem refelli videtur, quod lac tale non postea quoque eandem producit vim damnosam in oculos. Ceterum iure quaerendum est, an sit *contagium* momentum causale oculi neonati inflamationis, id quod multa docent experimenta. Contagium tale in xenodochiis obstetriciis et brephotropheis maxime inveniri solet, ubi multorum hominum convictu in eodem spatio et athmosphaerae infectio exhalatione materiae excretae a puerperis et infantibus adducitur. Fieri etiam potest, ut infantes ab aliis infantibus per distantiam, non tactu inficiantur, quia contagium non materiale tantum est, sed etiam fugitivum.[3])

---

1) De Blepharophthalm. blenn. rec. natorum p. 52 Berolini.

2) De curand. hom. morb. II. p. 69.

3) Seemann, De contagio ophthalmiae neonat. Berol. 1827.

Consilium ophthalmiae neonatorum a diversis medicis diversis methodis tractatur. Immo tantae de hac re sunt controversiae, ut medicamina ab uno commendata, ab alio sint reprobata. Haec dissonantia, Beckio autore[1]) inde exorta est, quod consilium a multis non ad diversa stadia et gradus morbi accurate sit relatum, quod autem ad bonum impetrandum effectum maxime necessarium est. Scriptoribus de hac re accuratissime comparatis nos maxime ei favemus sententiae, quae ab Iuengkenio et Kiliano[2]) itidem ab Ammone et Elsaesserio, nempe qui adhibendum frigus in primo stadio censent, relata est. Quem in finem fomenta ex linteo in aqua frigida tincta imponuntur, eaque donec photophobia desinit et infans oculos rursum aperit. Sed haec curandi methodus omnino in primo tantum stadio adhiberi licet et iam versus finem huius stadii, nempe cum secretio aquosa in mucosam vergat, obnoxia est haec cura (Iuengken). Hirudinum applicatio a plerisque dissuadetur. Praecipue curandum est, ut alvus sit soluta et ante omnia, ut aër in cubiculo calidus sit et aridus, ut omnia amoveantur, quorum exhalationes aërem insalubrem reddant, ut bonis

---

1) Handb. d. Augenh. Heid. et Leipz. 1832. pag. 94.

2) Cf. Conspectus partuum in xenodochio obstetricio Bonnensi etc. D. i. a Pet. Pierung Bonn 1835.

vescatur infans alimentis. Andreae[1]) permultis aliis repugnans conditionem asthenicam morbo tribuere videtur, quippe qui medicamina irritantia: Aq. Meliss. aq. Valerian., extr. Chinae, Tinct. Rhei aliaque interne sumere suadet. In stadio secundo infusum *flor. Chamom.* aut *Sambuci,* qnamquam non forte diligenter adhibendum est, ne mucus incredibili fere cum velocitate secretus tnnicae *corneae* damnum ferat[2]). Ad lavandum Pet. Frank[3]) lac tepidum; alii dec. Althaeae seu Malvae commendant.

Pierung[4]) dicit in xenodochio obstetricio Bonnensi aluminis solutionem ad lavandos oculos optimo cum successu adhibitam esse et mihi quoque in clinico nostro occasio data hoc persuadendi; qua solutione oculi neutiquam irritantur. Etiam medici Anglicani ad purgandum oculum adstringentia commendant; exempli caussa: *Alum. gr. VI. in aq. rosar.* ℥ *I. solut.; Zinc. sulphuric.* gr. III in eadem quantitate *aq. rosar.* solut. Haud ita commendant solutionem *Argenti nitrici,* quae vero tam fortis, quam

---

1) Grundr. d. spez. Augenh. Magd. 1837 pag. 303.

2) P. A. Demours: Traité des maladies des yeux etc. Paris 1818 Vol. I., pag. 198.

3) L. c. P. II. p. 69.

4) L. c.

ab aliis recommendatur, modo ad instillandum non autem ad lavandum oculum adhiberi licet.[1])

Iuengken[2]) commendat solutionem Hydr. mur. corros. gr. I in aq. dest. ℥ X fomento tepido oculo superimponendam. E numero multorum formularum in blennorrhoeam, quorum complures famam sibi bonam paraverunt exempli caussa ab Ammonis

℞ Extr. Saturni gr. V — VI
solve in
Aq. dest. ℥III — V
adde
Tinct. op. simpl. ʒß — ʒI
M. S.

itidem formula secundum Kreschke:

℞ Axung. porc. ʒ I
Mercur. praec. alb. gr. I — II.
Flor. Zinc.
Extr. Ratanh. ana. gr. III — VI
M. S.

quotidie semel vel bis quantitatem capiti acus parvae similem oculo illinendum;

---

1) Cf. Evanson Maunsell: Handb. f. d. Erk. u. Heil. d. Kinderkrankh. convertit et notas adiecit L. Fraenkel. Berlin 1838 pag. 225.

2) Handbuch der Augenheilkunde.

nulla tamen formula tam usurpata fuit, quam Collyrium ex I. A. Schmidt[1]), quod est:

℞ Vitriol. alb. ℈I
Extr. Saturni ʒß
Spirit. Camphor. ʒII
Aqua dest. ℥X
M. S.

Quotidie ter aut sexies hoc collyrio oculus lavandus.

Etiam Tinct. Opii diluta ad installandum a nonnullis commendata est. In gravibus casibus, praesertim si morbus iam tertium stadium ingressurus est, maximeque incipiente iam tunicae corneae suppuratione solutio quoque *Calcariae oxymuriaticae* saluberrima apparuit.[2])

Propria medendi ratio *stadii tertii* constitui non potest, et praeter lautiones ex solutione calcariae oxymuriat. nil usque huc commendatum. Maximi in hoc stadio momenti sunt exitus, et morbi ophthalmiam consequentes, qui pervarii esse possunt, quorumque descriptio extra fines thematis nostri est sita.

---

1) Allg. Augenh. §. 70.

2) Cf. Vorletz in v. Frorieps Notiz. XIX. Nro. 15. et Herzberg in v. Gräfes und v. Walthers Journal XIV. p. 612.

Sunt autem morbi secundarii ophthalmiae: *Ectropium*, et coniunctivae palpebrarum *ulcera*, *degenerationes*, immo etiam *ruptura* bulbi aliique multi, quorum quisque conditione propria aut medicaminibus internis aut operatione adiuvante est tractandus.

Cataracta.

Cataracta congenita multis apparet formis. Saepissime inveniri dicitur cataracta *centralis*. Secundum Andreae [1]) autem opinionem catar. central. praecipue *punctata* esse dicitur. Tum puncta alba, dissipata, maiora vel minora in capsula lentis conspiciuntur, per quam lens ipsa maxime diminuta et modo singulos sistens flocculos videri licet; raro autem anterior tantum capsulae paries turbidus (*cataracta dimidiata s. partialis*). Si centrum tantum lentis non perspicuum (cataracta centralis), obnebulatio saepissime in media parte capsulae anterioris est, ubi punctum format album accurate definitum, non elevatum. Catar. *congenita* hanc ob caussam fortasse *centralis* appellata est, qui catar. centr. posterioribus vitae annis rarissime vel nunquem acquiritur, quae cataractae species visum quidem non

1) L. c. Vol. II. p. 458.

tollit, sed valde *myopem* reddit. Si alter oculus postea melius videt, aegroti oculi bulbus versus interiorem oculi angulum sese abdit, quare *Strabismns* oritur. Raro obnebulatio in centro lentis invenitur.

Prognosis, quod ad visum pertinet, non mala est habenda, quia non timendum est, ut catar. haec, praesertim catar. centralis videndi facultatem omnino tollat. Si autem ex catar. punctata vel partiali in posterum *completa* exoritur, operationis instituendae prognosis fausta certe erit.

Aetiologia cataractae congenitae adhuc non satis liquet. Plerique innatam illam dicunt. Iuengkenius vero[1]) eam ex ophthalmia neonatorum plerumque exoriri censet.

Consilium huius mali in prima illa infantia ipsa ad inflammationem tantopere inclinata nunquam fere indicatum erit. In scriptis hanc rem tractantibus, quoad equidem scio, cataractae congenitae in neonato curandae tentamen institutum non esse; postea tantum turbationum visus natura est observanda, porroque deinde illis est medendum, id, quod huc non pertinet.

---

1) Rusts Handbuch der Chirurgie Vol. IV. p. 112.

Dasyma.

Dasyma (*δασύς villosus*) est induratio superficiei internae palpebrarum. Morbus est, qui et blennorrhoeam neonatorum multasque et blennorrhoicas et alias ophthalmias sequitur. Maitre-Jean [1]) tria huius morbi genera discernit:

a) ***Dasytes***, ubi vertentes palpebram illam rubram, asperam, et villosam videmus.

b) ***Ficosis***, ubi elevationes iam magnitudinis granorum fici sunt.

c) ***Tylosis***, ubi morbus ita iam inveteratus, ut interior palpebrae superficies suppurarit, rimae et durities cartilagineae inveniantur.

Prognosis est dubia. Ipse bulbus hoc malo aegrotus reddi potest, corneae obnebulatio, bulbi inflammatio, visus immo bulbi deletio sequi possunt.

Consilium. Medicamina adhibenda sunt, quae et luxuriem et ulcera ipsa coerceant, quem in finem Mercur. praecip. ruber atque *albus* forma unguenti maxime commendatur; in casibus inveteratis unguent. *citrinum* butyro aut adipe dilutnm utile est. Si ulcera sunt valde spongiosa, adstringentia (Cuprum acet. et sulphuric. Zinc. sulphuric. etc.) sunt adhibenda. In ulceribus dolorosis aut vehementer

---

1) Traité des malad. des yeux. Paris 1740.

prurientibus instillatio *Laudani liq. Sydenh.* commendata est. Si medicaminibus omnibus nil proficitur, pars coniunctivae degenerata scalpello aut melius forfice exsecanda et vulnus secundum chirurgiae regulas curandum.

Synechia anterior.

A verbo συνέχω *comprehendere* aliqua re. Illa conditio est, ubi Iris cum cornea concreta. Quae concretio, quum totalis aut partialis esse possit, *synechia totalis* et *partialis* discernitur. Conditio illa, ubi iris cum lentis capsula concreta est (*synechia posterior*) vitium congenitum non est observatum; quam ob rem hic de synech. modo anteriore sermo est. Interea synechia quoque anterior licet saepissime in adultis observetur, raro vitium congenitum invenitur. Quae sycech. si totalis est, concretio per totum corneae spatium extenditur et turbatione late propagata, obscura, non perspicua cognoscitur, irisque anguste huic adiacet. Oculi camera anterior evanuit; tunica tamen cornea non magis ac norma, ut in corneae staphylomate convexa elevatur.

P r o g n o s i s. Synechia anterior *totalis* afferenda extra artis fines est; in *partiali* vero, parva praesertim, corneae circumferentiae visus non ita turbatus est, quam ad synechiam in margine pupillae. Hoc casu, sicut in totali pupillae conclusione spes

tantum est visum *coremoprhosi* recuperandi, ubi non alia oculi formationis vitia prognosin omnino malam aut pessimam reddunt.

Aetiologia synechiae congenitae, sicut tot vitiorum congenitorum parum liquet; attamen fortasse nobis liceat quaerere, hocne vitium ophthalmiam neonatorum gravem sequatur quodque, ubi ab adultis acquiratur vulgo corneae vulnera atque ulcera sequi admonemus; ergo post harum partium inflammationem remaneat morbus.

Consilium. Si quaestio de aetiologia proposita experimentis factis confirmaretur, instillatio ex extracti Belladonnae aut Hyoscyami solutione in oculum salubris foret, ita, ut dilatatione pupillae fila formata lymphatica abriperentur, et ad caussam exsudationis tollendam cura antiphlogistica blennorrhoeae neonat. foret aptissima. Si maiores inveniuntur concretiones partiales, quae valde turbant visum, in plerisque casibus *coremorphosi* tantum et quidem ex *Iridectomia* vel *Iridectomedialesi* auxilium sperari poterit. Synechia instrumentorum auxilio auferenda, quam nonnulli commendant, non solum difficillima, sed etiam vehementi iridis inflammatione, quae semper sequitur, visui perniciosissima res est, quam ob rem huic medendi rationi favere non possumus (Kessler in Rust's Handb. d. Chir. Vol. XV. p. 672).

B. MORBI OCULI CONGENITI.

a) Morbi dynamici.

Presbyopia (*πρέσβυς longe videns*, *ὤψ visus*) et ***Oxyopia*** (*ὀξὺς acutus*) duo oculi vitia sunt saepe congenita, immo interdum multis in familiis tanquam morbi hereditarii observata. ***Presbyopia*** id est vitium, ubi res remotae accurate agnoscuntur, propinquae autem eo inclarius apparent, quo propius ad oculum moveantur.

Oxyopia autem illa est utilis magis, qnam nocens declinatio a normali oculi conditione, ubi hic per spatia valde remota penetrare et tenui quoque luce res minimas conspicere potest, Unicum huius abnormitatis auxilium electio est vitrorum oculo cuique convenientium.

Myopia.

(*Μῦς mus*, *ὤψ visus*) ea videndi facultatis conditio est, ubi res quidem propinquae clare et

distincte, remotae autem indistincte aut omnino non cognoscuntur. Hoc visus vitium saepissime congenitum et hereditarium est; haud raro myopia in uno tantum genere eiusdem familiae per successionem quasi traditur, ut e. g. omnes filii myopes sint, filiae autem bene videant, aut vice versa. Etiam huic malo sola vitra oculo apta auxilium ferunt, quae, si satis iusto tempore adhibeantur, malum corrigere, immo interdum tollere possunt.

b) *Morbi organici.*

Blepharoptosis.

(*βλέφαρον palpebra, ἡ πτῶσις cadere,* demitti) in palpebra superiori accidit. Distinguenda est a *blepharoplegia,* quae torporem quorundam oculi musculorum indicat. In blepharoptosi palpebra superior ob languorem nimiamque longitudinem cutis palpebrae, quasi per pondus ipsum demittitur. Musculus, levator palpebrae superioris vim non habet satis magnam, quae exteriorem palpebrae parietem elevet. Iuengken[1]) hunc morbum interdum congenitum immo hereditarium censet. Sunt familiae in quibus hoc malum ingeneratum apparet aut certis annis accidit.

1) Rust's Handbuch Vol. III. p. 707.

Prognosin bonam praesagit vitium.
Aetiologia non liquet.
Consilium pueritiae aetati reservanda.

Cilia male sita.

Modo *Trichiasin* modo *Distichiasin* constituunt. *Trichiasis*, si pleraque vel cilia omnia introrsum spectant, *distichiasis*, si praeter cilia irregulariter sita adhuc ordo normaliter vergens adest.

Coloboma Iridis.

Coloboma (*κολοβόω mutilo*) iridis illud formationis vitium est, ubi inferior, media huius membranae pars deest, ubique inferior pupillae margo in fundum anterioris oculi camerae inclinat. Fissura perfecta aut imperfecta esse potest [1]. Ph. a Walther [2], qui hoc oculi formationis vitium (postquam sexies observaverat) primus descripsit, cum labio leporino comparat, ambo vitia primae formationis declarans. Post a Walther alii quoque e. g. Heyfelder et Wagner [3]) observarunt et descripserunt.

1) Meckels Handbuch der pathol. Anat. Vol. II. p. 157.
2) Journal d. Chir. u. Augenh. Vol. II. p. 598.
3) Archiv f. med. Erf. 1821 Sept. u. Oct. p. 256.

Marisson [1]) congenitum iridis defectum totale observavit.

Nisi cum colobomate iridis alia formationis vitia sunt coniuncta, videndi facultas eo nunquam valde turbatur, ut multa docent exempla.

Defectus pupillae.

Sic congenitus praecipue pupillae defectus; acquisitus vero *Atraesia* s. *Synizesis* appellatur.

Hoc malum verum formationis est vitium, eoque nascitur, quod *membrana pupillaris* non iusto tempore resorbetur, quod, quum in nonnuliis infantibus post partum demum fit, in primis vitae diebus haud raro invenitur.[2]) Sed etiam casus sunt noti, ubi membrana pupillaris post sex menses (Siebold), post tres annos (Wrisberg), post decem annos (Cheselden), immo adulta aetate (Littre et alii) adhuc aderat.[3]) Membrana pupillaris, quum varia est crassitudine et soliditate, aegroti magis minusve lucem sentiunt.

Prognosis omnino bona est, nam etsi membrana non ipsa natura adiutrice dimovetur, attamen, si aliae non adsunt oculi deformitates, quae videndi

---

1) Journ. f. Chir. u. Augenh. Vol. I. p. 381.

2) Iacob in Lond. med. chir. transact. Tom. XII. P. II. pag. 487.

3) Cf. Schoen l. c. pag. 76.

*

facultatem tollunt, visus pupilla artificiali restitui poterit.

Consilium hic explicari non potest, quippe cum *Coremorphosis* accurate describenda esset.

Pupilla praeter naturalis

omnis in loco quodam iridis apertura anomala vocatur. Varii modi huius vitii primae formationis observati sunt; e. g. pupillae duplices; immo Lerche[1]) triplicem pupillam in oculo sinistro puellae sedecim annos natae observavit et tres omnes pupillae quidem lucem perceperunt.

De Consilio mali usque huc experientia deest.

Rhyas.

Rhyas (*ῥέω fluo*) illa fluxus lacrymalis seu *epiphorae* species est, quae a curunculae lacrymalis defectu originem ducit.

Malum hoc saepe ad adultos accidit, plerumque ex *encanthi apostematosa*, aut encanthis *fungosae* excisione. Cum vero, quamquam rarissime, congenitum sit, malum hoc loco memorandum tamen est. Quia deficiente caruncula lacrymali lacrymae in lacu

1) Vermischte Abh. aus d. Gebiete d. Heilk. v. e. Gesellsch. p. Aerzte in St. Petersburg I — IV Samml. 1821 — 30.

lacrymali colliguntur, neque ad *puncta* lacrymalia facile transeunt, fluxus lacrymarum insanabilis nascitur, contra quem nil aliud potest fieri, quam ut lacus lacrymalis saepe panniculo puro exprimatur.

Excrescentiae corneae

Interdum congenitae apparent, quamvis saepius in adultis inveniantur. Radicem modo in coniunctiva corneae, modo in ipsa corneae structura habent. Magnitudo, forma, color, substantia earum variant. Si maiores sunt visum coërcere adque delere possunt. Inveniuntur albae, subcanae, subfuscae, rufae, nigrae, carnosae, spongiosae, verrucosae pinguedini similes in quibus interdum pili cernuntur.[1])

P r o g n o s i s quoad magnitudinem et substantiam spectat, atque num sedes earum magis minusve profunda.

C o n s i l i u m. In excrescentiis mollibus, spongiosis *collyria* leviter modo adstringentia, *Alumen*, *Sacchar. Saturni, Vitriol. alb.* adhibenda sunt aut forfice adimantur; duriores autem raro aliter removeri poterunt, nisi exscindendo ope scalpelli parvi, nempe ut excrescentia hamulo apprehendatur et quam fieri potest cautissime, neque profundius, quam omnino necessarium sit, exsecetur. Talium excrescentiarum

---

1) Schoen l. c. pag. 180.

imagines dederunt Wardrop[1]) Clemens et Radius[2]) Travers[3]) et Ritterich[4]).

Strabismus.

(στρέφω, στραβίζω flecto, detorqueo) vitiosa bulborum positio est oculi, qua accidit, ut eorum videndi axes non una eademque linea congruant. Distinguimus 1) Strabismum *convergentem* i. e. versus angulum oculi internum, quod frequentissimum est genus. 2) Strabismum *divergentem;* ut enim in illo genere axes videndi nimis invicem convergunt, ita hic nimis inter se divergunt, ut bulbus ad cantum oculi externum nimium flectatur. 3) Strabismum *sursum vergentem;* directio nimia sursum in infantibus frequentissima est forma. 4) Strabismum *deorsum* vergentem, nempe flexionem bulbi nimis deorsum.

Aetiologia strabismi congeniti interdum musculi cuiusdam bulbi oculi insertione perversa est quaerenda, saepius vero differentia situs locorum indenticorum utriusque retinae, ita ut ex. gr. centrum

---

1) Morb. anat. of the Eye. Vol. I. Tab. IV. Fig. 1 et 2.
2) Script. ophth. min. Vol. I. pag. 141. Tab. I. Fig. 1.
3) Synopsis of the diseases of the Eye. Ed. II. pag. 102. Tab. II. Fig. 2 et 4.
4) Jährl. Beitr. zur Verv. d. Augenh. Bd. I. Fig. 1 — 4. Leipz. 1827.

retinae in uno oculo loco identico alterius correspondat, qui a centro oculi ipsius discrepet, simileque discrimen locale inter cetera omnia puncta congruentia sit (*Strabismus congruus*). Ioh. Müller[1]) de hoc praecipe strabismi genere disseruit. Quia hoc primae formationis vitio axes bulbi et videndi, in uno saltem oculo varii sunt, aegrum *strabonem* esse necesse est, ut recte videat, quia, si ambos oculos ad obiectum vergat, duplici videt modo. Interdum etiam hoc vitium hereditarium in multis observatum est familiis.

Prognosis quoad visum ipsum bona est; quum vero necesse sit limis oculis videre ad res externas recte cognoscendas per totam vitam interdum strabismum tollere non licet.

Consilium cuiusque ad strabismum tollendum a multisque varie commendatae methodi hic recensere non possumus. Strabismus autem *congenitus*, qui *unus* pertinet ad dissertatiunculam nostram iusta in infantia oculi diaetetica, ne saltem progrediatur, prohiberi potest. In primis vitae periodis discrimen inter utriusque bulbi videndi rationem parum tantum est et propter organismi infantilis facilitatem facilius etiam adaequari potest. Ad perpetrandam hanc curam aliquomodo prophylacticam com-

---

1) Z. vergleich. Physiol. d. Gesichtss. Leipz. 1826. S. 230.

mendatum est, ut infans prohibeatur, quominus res externas ab uno tantum latere fixe teneat. Caput infantis lucis radiis stricte opponatur, ut uterque bulbus aequaliter instigetur, oculus aberrans autem crebro tales in res vertetur, quae infantis attentionem excitent; teneantur autem ita, ut flexioni oculi oppositae sint directae.

Si Strabismus nihilominus autem adaugetur, curandi methodus, ut in adultis est tractanda, qua de re hic sermo esse non potest.

Anophthalmos, Symblepharon, Ancyloblepharon.

Sunt monstra, quibus uterque deest oculus (*Anophthalmos*). Interdum simul orbita omnino deficit, palpebrae et cilia autem inveniri solent, sed illae quidem plerumque concretae.

Cum defectu bulborum totali eorum parvitas anomala fortasse aliquo modo cognata esse posset, cuius mali casus nonnullos enarrat Wutzer.[1])

Etiam in animalibus oculorum defectus observatus est.[2]) Ad defectum totalem oculi aut modo partialem nervus *oculomatorius, trochlearis, abducens*

---

1) Meckels Archiv f. Anat. und Physiol. 1830 pag. 179.

2) Cf. Tiedemann et Treviranus: Zeitschrift für Physiol. Vol. 1. p. 78 sqq.

itidem ramus *primus nervi trigemini* vulgo deficere solet[1]) Si in his casibus palpebrae inter se tantum concretae sunt. (*Ancyloblepharon*) *ἡ ἀγκύλη vinculum; τὸ βλέφαρον palpebra*); si vero cum bulbo ipso palpebra altera est concreta *Symblepharon* (*σὺν cum*) vocatur. Concretio vero illa aut uno tantum in loco est (*symblepharon partiale*), aut ubique (*symbl. totale*). Saepe Symbl. sine ancylobl., observatur, saepissime etiam cum *atrophia* bulbi complicatum. In ancylobl., ut iam ante diximus, saepe bulbus omnino deest. Si palpebrarum *atresia* in quibusdam tantum locis est, ancylobl. *imperfectum*, si vero per totum palpebrarum spatium, ancylobl. *perfectum* appellatur[2])

A e t i o l o g i a horum morborum omnino obscura est et incerta, neque de illa re aliquid coniicere audeamus.

P r o g n o s i s in *ancylobl.* partiali plerumque bona est, itemque ad *symbl.* partiale, praesertim si atresia in media palpebrarum parte nascitur; infausta autem, si haec mala perfecta inveniuntur; pessima in defectu et in atrophia bulbi.

---

1) **O t t o**, Lehrb. d. path. Anat. d. Menschen und Thiere Berlin 1830 p. 454.

1) **B e e r**, Lehre v. d. Augenkrankh. Vol. II. pag. 122.

Consilium instrumenta sic dicta chirurgica desiderat.

Microphthalmus

(μικρός, ὀφθαλμός parvus oculus) est atrophia bulbi. Hoc oculorum vitio, quod haud raro congenitum accidit, videndi facultas aut valde diminuta, aut omnino deletur et quidem insanabilis. Praeter casus illos antea memoratos, a Wutzero observatos, ubi uterque bulbus erat minimus, nulli huius mali casus noti sunt, qui ambos oculos affecerint; nam semper paene unus tantum oculus aegrotat. Bulbus toto volumine multo minor est altero, bene autem formatus, singulis partibus omnino symmetricus. Haud raro lentis cataracta observata est simul. Iuengken[1]) lentem cataractosam tali in casu aliquoties removit, sed videndi facultatem restituere illi non contigit.

Oculus supernumerarius

rarum est vitium. Extra orbitam in fronte, in latere capitis et supra ipsum cum altero bulbo coniunctum in una eademque orbita est observatum. Talis status ad intimam duorum capitum concretionem repertus est, quorum divisio adspectu solo vix

---

1) Rust's Handb. d. Chir. Vol. XII pag. 86.

potuit animadverti. In plurimis huius generis casibus anatomica praesertim investigatione simul duplicationes capitis, trunci aut membrorum inveniuntur; quod si ita se habet, de oculis supernumerariis dici non potest, tanquam vitia illius tantum systematis essent. Rarissime accidit, ut in uno faciei latere oculus naturalis, in alterius autem orbita lateris duo bulbi inveniantur. Omnes huius generis casus in monstris tantum sunt observati, quae vulgo paullo post partum diem obierunt supremum[1],[2]).

Cyclops.

Monstra uno tantum oculo praedita hoc nomine sunt appellata. Hic vero de iis non loquimur casibus ubi calvaria imperfecte formata orbita deerat. Interdum oculus in orbita supra radicem narium reperitur. Notae integrae de oculorum defectu apud Schoen.[2]) Loco bulbi modo humor mucosus post palpebras concretas, modo tela cellulosa, pinguedo, sola glandula lacrymalis invenitur.

Apud cyclopes concretio oculorum amborum quaedam reperiri solet; modo cornea, modo iris, modo lens crystallina, modo nervi optici, modo complures

---

1) Cf. Otto l. c. p. 113.
2) Schoen et Tiedemann l. c.
3) Handbuch d. pathol. Anatomie d. mensch. Aug. Hamburg 1828. 4.

harum partium geminatae sunt, interdum duae palpebrae perfecte formatae adsunt; interdum unius rudimenta cognoscuntur, saepe etiam omnino desiderantur [1]). Vulgo semper fortasse deformitas aut anteriorum cerebri nervorum defectus observatur. Brochaska [2]) in infante tertium tantum et septimum et octavum nervorum par invenit. Klinkosch [3]) in infante naribus deficientibus aliisque faciei deformitatibus nata nervorum par primum usque sextum deficiens vidit; attamen rami externi quinti paris, quod intus desiderabantur, aderant. Rudolphi [4]) in tali cyclope, cui nasus deerat, cuiusque facies multis modis erat deformis, par primum, quartum, sextum nervorum unius eiusdemque lateris non invenit. In omnibus Cyclopibus auctore Otto [5]) nervi olfactorii deesse dicuntur.

Accuratior omnium in nervis aliisque ad oculum partibus spectantibus varietatis anatomicae enumeratio multas adhuc impletura esset plagulas, quare

---

1) Andreae l. c. p. 534.

2) Abhandl. d. böhm. Gesellsch. 1788. — Prag 1789. p. 230. sqq.

3) Progr. quo Anatomen partus capite monstroso proponit. Prag 1776. 4.

4) Abh. d. Akad. d. Wiss. in Berlin f. d. J. 1814 — 18. Berlin 1818. p. 185. sqq.

5) L. c. p. 456.

insignes modo huc pertinentes anomalias indicasse sat habemus.

Telangiectasis.

(τέλος *finis*, ἀγγεῖον *vas*, ἔκτασις *extensio*) seu *Morum* palpebrarum seu *naevus telangiectodes* morbus est semper fere congenitus. Spatium talius mori interdum iam a partu satis magnum est, vulgo autem initio parvum circa magnitudinem milii grani; plerumque autem celerrime crescit, ita ut iam post aliquot menses sextuplum vel octuplum primi ambitus teneat, postremo iuglandis magnitudinem et magis etiam adaequet. Tumor forma est oblonga aut rotunda inter venosos tumores numeratur et plumbeo colore aut coeruleo aut nigricante, mollis, fluctuatio clare sentitur, pulsationem non ostendit, hisque signis satis a tumoribus cysticis aliisque palpebrarum vitiis differt. Malum ipsum in extensione venarum capillarium consistit.

Prognosis dubia, quippe cum raro praefiniri possit, an ratione medendi ipsa palpebrae magis minusve deformes reddantur.

Aetiologia non satis est explorata, uti omnino plurimorum foetus morborum adhuc in tenebris versatur. Praeter defraudationem sic dictam gravidarum, quae semper adhuc tamquam certa defenditur, quam opinionem hic autem mittamus, compressionem atque contusionem foetus ad situm in utero

non faustum aut violationes externas caussas statuere voluerunt. Sed iam sedes huius vasorum affectionis satis demonstrat, quam parum huic sententiae sit tribuendum; non enim foetus partes damnis illis maxime expositae, sed omnino illae textura molli et tela cellulosa copiosa maxime afficiuntur. Vera igitur origo hic quoque explicari non potest et vix de caussis occasionalibus inter ipsum et post partum atque de conditione maturioris celeriorisque incrementi rationem possumus idoneam afferre. Sed etiam ubi alienatio acquisita est, attamen eo, quo constat, modo vi mechanica tantum explicari non potest.

Consilium. Si structura et sedes huius mali *compressionem* adhibendam non prohiberet, haec aptissimum nescio an foret remedium. Attamen perniciosi exitus periculum exstirpationem statim necessariam reddere potest. Medicamina, sic dicta caustica apud mora minoris tantum ambitus sunt adhibenda.

Exsecatio autem cauteriis cuiuscunque generis est anteponenda, qua cicatrix omnino non tam deformis erit, quam illorum ope adducta. Andreae[1]) empl. tart. stib. in naeva positum optimum censet remedium.

---

1) Grundr. d. spec. Augenheilk. p. 86.

Ad finem dissertatiunculae nostrae, ubi pervenimus, facere non possumus, quin fateamur, eam therapeutices praesertim habita ratione procul a perfectione abesse; etsi fortasse nonnulla alia primae formationis vitia a nobis non commemorata sunt, veniam a lectoribus benevolis speramus et indicere liceat, multos oculi primae formationis morbos aut omnino insanabiles esse, aut quorum curam tales poscere operationes, quales debilis ille tenerque recens natorum organismus sine vitae periculo perferre non possit, quam ob rem therapia eorum, quippe quae neonatorum non amplius, in disquisitione nostra non est tractata, quodque oculorum morbi puerilis aetatis iam extra fines nostros propositos sunt.

Vita.

Ego Sueskind Fischel natus sum Vallendariae anno huius saeculi quindecimo parentibus Feist Fischel et Rebeka e gente Hirz, quos inter vivos veneror. Fidei veteri adscriptus sum. Primis litterarum elementis Vallendariae imbutus, gymnasium Confluentinum directore cl. Klein per octo annos frequentavi. Testimonio maturitatis instructus autumno anni MDCCCXXXV. in almae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae civium numerum receptus sum a Rectore magnifico cl. Freytag et artis saluberrimae studiosis me adscripsit cl. Ennemoser t. t. decanus spectatissimus.

Praelectiones infra quinque annorum spatium a me auditae:

PHILOSOPHICAE.

Logice et psychologice apud cl. van Calker, botanice apud cl. Treviranus; botanice pharmaceutica apud beatum Nees ab Esenbeck, zoologia apud cl. Goldfuss; mineralogia apud cl. Nöggerath; physice experimentalis apud beatum a Münchow; chemia experimentalis apud cl. G. Bischof. Praeterea quaestiones nonnullae Homericae apud cl. a Schlegel.

MEDICAE.

Anatomia generalis ac specialis apud cl. **Mayer** et **Weber**, qui quoque artem cadaverum disscandorum tradebant; physiologia apud cl. **Mayer**; pathologia generalis apud cl. **Naumann**; pathologia specialis atque materies medica apud cl. **Albers**; pathologia atque therapia generalis cl. **Harless**; materia medica, de arte formulas medicas concinnandi, medicina forensi atque epizootiis apud cl. **Bischoff**; de chirurgia, anatomica chirurgica, de oculorum morbis, de fasciarum chirurgicarum rite applicandarum operationumque instituendarum doctrina disserentem audivi cl. **Wutzer**, quo duce ipse in cadaveribus operationes perfeci; therapiam generalem ac specialem, anthropologiam, de educatione medici et casuistices doctrinam mihi tradidit cl. **F. Nasse**. De arte obstetricia, de morbis infantnm ac mulierum, de instrumentis obstetriciis disserentem audivi cl. **Kilian**, qui quoque me in phantomate operationes exercentem duxit.

Praeterea frequentavi: clinicum propaedeuticum et therapeuticum duce cl. **Nasse**, clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum duce cl. **Wutzer**, clinicum obstetricium duce cl. **Kilian**.

Vos viros omnes, doctissimos et illustrissimos, pro verbis factisque vestris gratias meas, ex sincerrimo animo habitos, benigne accepturos esse, spero.

Theses defendendae.

1. *Cataracta saepe unicum arthritidis symptoma.*
2. *Granula coniunctivae non solum in blepharitide contagiosa.*
3. *Coremorphosis nunquam in utroque latere instituenda.*
4. *Febris mere nervosa non est.*
5. *Phtisis pulmonalis venaesectioni non repugnat.*
6. *Pathologia generalis speciali dignitate gravior.*
7. *Helminthiasis non est morbus, sed morbi symptoma.*
8. *Versio in caput reiicienda.*
9. *Causam stimuli ad partum et in utero et in foetu quaerendum.*
10. *In venaesectione instituenda partes anatomicae sunt respiciendae, non cicatrix, si forsan adest.*